



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Decretvm I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

ad Crucifixum in altari positum conversa, coram eodem, & toto Clero, pluribus ac efficacibus verbis protestata fuit, quod Episcopale munus suum per tot jam annos omnibus modis adimplere studuerit, ac proinde in conscientias singulorum, toties respectively admonitorum, correctorum & punitorum,

reiciat, easdemque oneret, si, quæ, pro suâ & subditorum singulis commissorum salute, agenda fuerunt ac posthac erunt, non præstent.

Sermone finito, Secretarius Synodi resumpsit lectionem Decretorum Synodaliū.

S E Q V V N T V R D E C R E T A S Y N O D A L I A.

DECRETVM I.

CVm, per operosè completam tandem Visitationem generalem Diœcesis Nostræ Osnabrugensis, cognoverimus, varia, hæcenus salubriter publicata & intimata, tam Synodalia quam Visitationis Decreta non observari; pro Pastoralis officii sollicitudine, necessarium duximus, quædam, uti fundamenta reliquorum, in hac Synodo repetere, ac denuo inculcare, seu de novo promulgare; ut sequitur.

DECRETVM II.

Tanta est quorundam negligentia, & inexcusabilis socordia & inobedientia, ut ne quidem Constitutiones, hæcenus legitime publicatas & receptas, apud se habeant, sed nec illas, aliave ipsis intimata Decreta, legant, aut, interrogati de eis, rationem reddere possint. Vnde serio mandamus & præcipimus, ut quilibet librum Synodalem, Agendam, Missale, Proprium Sanctorum hujus Episcopatus, item Catechismum, ac librum Cationalem vulgaris idiomatis, jam jam typis evulgandum, nec non Decreta Nostra Visitationis propria, penes se quisque habeat, retineat, legat & revolvat, sed & accuratè observet, & observari respectively faciat, ut suo tempore, interrogatus de iis, rationem reddere possit.

DECRETVM III.

Festa, processiones, jejunia, abstinentiæ, juxta sanctæ Matris Ecclesiæ, nec non Calendarii & Directorii Osnabrugensis dispositionem, diversis in locis non ritè observantur, aut omnino negliguntur. Quare, jure merito, longos viarum anfractus, in processibus de nocte fieri solitos, cum omnibus commessationibus, in processibus etiam nonnullis, usitatis, abolitos volumus; ac, ut vigor Apostolicarum & Diœcesanarum Constitutionum accuratè observetur, demandamus. in quo Pastores suum officium singuli præstabunt.

DECRETVM IV.

Licentiæ, die festo laborandi, inconsideratè sine gravi causâ non concedantur. Processiones tamen, hæcenus tribus feriis sextis post Trinitatis fieri consuetæ, in posterum tribus Dominicis fiant, in omnibus Pærochiis.

DECRETVM V.

Reperiuntur non pauci, qui contra Decreta, antehac publicata, malunt cum famulatio alienæ religionis, quàm suæ, convivere; nonnunquam cum suspitione pravâ laicorum. Itaque inculcatur serio, ut quilibet Ecclesiasticus ab hujusmodi consortio se abstineat.

DECRETVM VI.

Ambitiosa quorundam avaritia, multa sibi coacervat beneficia Ecclesiastica, unde execrabiles hac in parte jure communi statutas pœnas reponimus; monemusque omnes & singulos qui diversâ beneficia possident, ut vel dispensationem, intra mensis spaciū, Nobis aut Nostrò Officiali exhibeant, causasque dispensandi probent, vel beneficia sua resignent, aut se privandos esse sciant.

DECRETVM VII.

Solliciti etiam sumus de animabus, Nobis concreditis, uti thesauro inter acatholicos hic abscondito. Itaque necessarium est, ut accuratius, quam hæcenus factum fuit, nomina Communicantium in Paschate singulis annis, uti & conversorum singulis trimestribus, Nobis vel Officiali Nostrò exhibeant; & licet nullus ad Religionem orthodoxam accesserit, nihilominus id præstent; & ita de sollicitudine doceant Pastoralis officii.

DECRETVM VIII.

Qvandoquidem Seminarium Clericorum huic Diœcesi ante omnia necessarium, juxta sacrosancti Concilii Tridentini Decreta ac monita, serio desideramus ab omnibus, ut, secundum anteriores Constitutiones, huic sacro instituto aliquid in ultima voluntate legent, aut aliàs contribuant.

D E